

*Guarantia* locum obtinet inter gentes, fulcrumque fœderibus subponit & pactis, dum conventionem inter duas gentes in tam gens tertia suo auxilio suaque autoritate roborat; ita nimis, ut genrem injuste à conventione resilientem compellat ad officium.

*Cautio pignoratitia*, qua res, & corpora-  
lis, qua homines sive cives unius gentis al-  
teri genti in securitatem servandæ fidei tra-  
duntur, nostris diebus in desuetudinem ve-  
nisse viderur; adeoque de illis, quæ spectant  
obsides hujus generis, in longum differere  
non liber.

## CAPUT V.

### *De belli.*

#### §. I.

##### *Notio belli.*

**V**arias belli notiones tradunt auctores va-  
rii tum antiqui, tum recentiores, quibus  
secundum ordinem referendis supersedendum  
judico præterea, quod notio belli supra  
pag. 9. à nobis exhibita, singula huc spec-  
tantia complectatur: quam proinde hoc loco  
reperere, debiteque explanare juvabit. Est  
autem illa tenoris sequentis:

Bellum est status gentium manus violentas sibi inferentis, & ea, quae sibi deberi judicant, vi extorquere ideo præcipue nitidum, quia aliâ juriis viâ obtineri nequeunt.

Itaque nomine belli proprie sumti non venit intelligendus conflictus sanguinolentus inter privatos utcunque etiam ad cumulatos, sed requiritur, ut agatur inter *gentes*, id est inter illos, qui supremam utrobique potestatem exercent, videlicet inter imperantes, quibus solis jus belli competit; pertinet enim ad jura maiestatica transeuntia, quod jus majestaticum ideo præcipuo translatum est inter imperantes, ut reipublicæ jura, publicamque securitatem idoneis ac competentibus mediis vindicent & tueantur. — Consequitur ex his summum esse nefas, si subditi hanc sibi potestatem adrogent, aut in ipsos usque adeo imperantes arma convertant. — Sequitur ulti-  
terius, proprie bellum non esse, si subditi alicujus gentis, imperante proprio reluctante & invito imperantem alterius gentis una cum ipsius subditis impeterent armis; nam, ut notatum, *utrobique*, id est, ex parte utriusque belligerantis subesse debet suprema potestas. Eodem modo ratiocinandum, si quis imperans solos invaderet alterius gentis subditos, iisque imperante proprio reli. Etante armatâ manu se se opponerent; loquimur enim hoc loco de bello proprie, ac in rigore spectato, utpote quod locum non habet, nisi inter *gentes* & *gentes*, id est inter eos.

eos, quorum pars utraque gaudet potestate supremā; atvero subditis talis potestas non competit.

Dicitur ulterius in descriptione tradita, quod ea, quae sibi deberi judicant, vi extorquere videntur: ex quo patet, quod bellum moveri, ac interponi nequeat ex causa arbitraria, aut ex sola præpotentia virium; sed solummodo ad vindicandum jus suum, quod proinde ad belli iustitiam requiritur. Requiritur ergo judicium moraliter certum, jus esse violatum, arque in hujus resarcitionem *opus esse bello*: unde in dicta descriptione additur ulterius:

*Quia alia juris via obtineri nequeunt; enim vero ad arma convolare non licet, si & quamdiu per remedia juris recuperari possint iura, res, aut personæ violatae. Bellum igitur est extremum bonorum hujusmodi fallendorum remedium.* Analogiam quandam res ista habet cum bonis privatorum, qui per interpositam vim ea extorquere non debent, quamdiu leniora & apta suppetunt remedia juris.

Hoc loco etiam notandum est, quod in casu, quo subditi alicujus imperantis eo inscio aliam gentem læserunt, non illico imperans gentis læsæ lædentes alios subditos armis invadere debeat; sed quod oporteat prævie subditorum lædentium convenire imperantem: qui, si illatam à suis subditis al- teri

teri genti injuriam reparare nolit, eam adop-  
tare censetur, & jam tum bello præber  
campum atque materiam.

Porro ex hucusque dictis abunde p-  
tescit, quod imperans strictis armis subditos  
suos rebelles ad officium reducens, non tam  
bellum committere, quam legitimum suum  
imperium in subditos suos interponere &  
exercere dicendus sit. Exercet igitur tunc  
imperans potius actum juris majestatici im-  
manentis, quam transeuntis.

*Divisio belli propriæ fit in bellum defen-  
sivum, & offensivum.* Illud defensivum nun-  
cupatur, quando repellitur vis aliorum in-  
vadentium jura nostra & bona: offensivum  
quod & aggressivum audit, è contra est,  
dum invaditur hostis juris vindicandi causa.

Solent & dividere bellum in *solemne*, &  
in *minus solemne*. Primum est, quando bellum  
contra aliam gentem decretum, eidem so-  
lemniter ante executionem indicitur, seu de-  
claratur: secundum è contra sine dicta præ-  
via solemnitate ipso facto declaratur & in-  
choatur. — Præviā belli declarationē in ma-  
ribus liberarum gentium adcommmodatam esse,  
passim sustinetur. Bellum porro aliud *justum*  
est, aliud *inustum*; prout rationes finesque  
ad bellum commoventes justæ comperiuntur  
aut injustæ. — Cum vero rationes istæ vel  
maxime notæ sint imperantibus; hinc priva-  
torum non est, causam illam dirimere.

Divisiones aliae mintis propriæ sunt: bellum publicum, privatum, & mixtum; item bellum intestinum. *Publicum*, id quod tamen stricte belli naturam complectitur, est quod inter ipsas gentes, *privatum*, quod inter privatos etiam diversæ gentis homines obtinet, *mixtum*, quod ex una parte publicum, ex alia parte privatum est; & *intestinum*, quod aut inter ipsa ejusdem gentis membra committitur, adeoque seditiosum est, aut contra legitimos imperantes intentatur & geritur, proinde à rebellione non distinguitur. — Denique bella vel in terra continente, vel in mari locum habere queunt. — Atvero *piratæ*, aut etiam in solida terra confederati sine legitimo superiore armati deprædatores, non militibus, sed latronibus æquiparantur.

## S. II.

### *Quo jure licitum fit bellum.*

**Q**uestio hæc procedit de bello omnibus absolute numeris, quod proinde undequaque justum est, rectoque suffultum est fine, actione nisi tanquam extrellum juris persequandi vindicandique medium arripitur, neque limites juris sui violati excurrit, & in quo servatur moderamen inculpatæ tutelæ.

Bellum *defensivum* esse juris naturæ omnino perspicuum est; enimvero, si cuilibet personæ physicæ vi juris naturæ competat,

mediis ad remperatis se defendere contra ius  
justum ad aggressorem; id à potiore dicendum  
de **integra libera gente**, quæ **injuste invadit**

Neque bellum **offensivum** à **jure naturæ alienum** est: illud namque exercetur tanquam ultimum medium perveniendi ad id, quo adgradienti de jure debetur, & per reipublicæ debitum sustentaculum contributur; atvero uti mediis ordinatis ad obtinendum jus suum, atque ad suam conservatiōnem necessariis, jure naturæ licet.

Nunquam igitur ipsa procedendum est ad bellum, si alia adhuc supersint media mitiora jus suum obtinendi: unde, si in hunc effectum amicabilis compositio, interpositæ commonitiones & minæ, aut etiam ipsa belli paratio, juxta illud: *si vis pacem para bellum*, finem intentum producere valent, à bello abstinentum erit; cum bellum gravissima incommoda, summæque calamitates concomitentur.

Quocirca Cl. Zallinger Lib. III. i. g. CCXCVI. ita loquitur: "Cogitanti igitur de jure & justitia belli non perfunctorie ex pendendæ sunt miserabiles strages non tam hominum singulorum, sed turmarum, legionum, exercituum; humanorum corporum mutilatio, dilaniatio; conculcatio; repriones honorum, eversiones urbium, vasta-

vastationes agrorum; fulminea tormentorum vis, bellatorum ferocia ac licentia, pavor & consternatio hominum, & animalium, orbitas parentum ac liberorum, lamenta senum, terror, desperatio, fuga, inopia, fames, pestilentia, quæque sunt generis istius crudelissimæ plagæ cœlitus immisæ ad castiganda hominum peccata; quando iratum Numen ultori angelo potestatem dát, ut sumeret pacem de terra, & ut invicem se interficiant (*homines*) & datus est ei gladius magnus. „Apoc. VI. 4.

De nullo igitur imperante cogitari facile potest, quod tantis adhuc nexumque malis moveat bellum, nisi ab extrema necessitate ad passum istum compellatur.

### f. III.

#### *De justitia belli ratione modi.*

Bellum in substantia justum esse potest; ad tamen defectuosum in modo mediisque, quibus perficitur. Decernenda igitur hoc loco sunt varia huc spectantia, simul utque debite diuidanda.

*Generalis*, ac saepius inculcata est regula, quod finis præstitutus adtingi debeat medium non qualibuscunque, sed mediis honestiss, nullo jure prohibitis: per consequens eadem obtinet regula quoad præsentem materiam.

Crudelitatem ac barbariem à jure <sup>naturæ</sup> alienam esse, stabilivimus alibi: igitur medium omne, quod sana ratio crudele <sup>ad</sup> dicat, ineptum est, & illicitum, eriam <sup>ad</sup> jure suo tuendo, aut vindicando per <sup>bellum</sup> nam crudelitatem esse intrinsecè malam, adeo que nullo fine eam cohonestari posse, nemo <sup>tan</sup> ignorat.

Statuendum insuper, quod solicitatione <sup>ad</sup> rebellionem, perfidiam, proditionem &c. medium sit illicitum deveniendi ad finem <sup>ad</sup> tentum; proinde quoque impræsentiarum <sup>de</sup> jure inadplicable: per hoc namque solicitans alieni peccati particeps efficitur.

Pariter iniquum est, perjuriis in fratre inducere hostem, aut fidem infringere datam. Medium porro deterstabile foret, fontes & aquas, aut relictam annonam inficere veneno; & quæ sunt alia hujus generis, quibus natura, & jus gentium abhorrent.

Resolvendum est aliter de *strategemate proprii nominis*, id est, de simulatione, aut dissimulatione adhibitâ in ordine ad hostem circumveniendum, utpote quibus expertissimi probissimumque belliduces omni ferme ævo usi sunt: veluti dum exercitus ita pro & contra moveretur, ut hosti militum copia multo numerosior videatur, quam est re ipsa: aut dum vestibus, signis, aut vexillis, velisve utuntur alienis, ne ipsorum ad proximatio <sup>hosti</sup>

hosti opportunè innoescat; pariter, dum simulant fugam, ut insequentem hostem ad locum allicant, in quo eum imperere facilius ac expugnare possint &c. &c.

Quemadmodum belli, ita & exploratorum antiquissimus, testante ipsâ S. Scripturâ, est usus. Antequam verò resolvatur quæstio, an exploratio justa sit & licita; cautè distinguendum est inter exploratorem, & inter proditorem patriæ: nam *proditor patriæ* ille est, qui ausu nefando ac detestabili contrâ fidem datam ac debitam patriæ eam in manus hostium tradere comminiscitur; dum è contra *explorator* potissimum in vim initi singularis sibique onerosissimi pacti expiscatur hostis alieni situm, positionem, ac reliquas circumstantias concernentes.

Quæritur ergo, an belliduces exploratores jure constituere, & an exploratores munus illud subire possint, inadvento, quodd nexum sit cum summo vitæ periculo? — Solemne hujus rei exemplum legimus in libro Josue Cap. II. 1. “Misit ergo Josue filius Nun de setim duos viros exploratores in abscondito; & dixit eis: ite, & considerate terram, urbemque jericho,”

Statuendum igitur, quodd constituere exploratores, illudque exercere munus, sit medium idoneum ac licitum deveniendi ad finem *justo bello præstitutum, nempe ad expugnationem*.

15  
pugnationem hostium: tales namque exploratores æquiparantur militibus, qui pro bono gentis, sub cuius vexillis militant, vitam exponunt propriam, & periculo etiam proximo. Porro simulata exploratorum in ipsis etiam hostium castris amica conversatio cùpā vacat; eoquòd nemini intentionem suam aperire teneantur, & externam conversationem tranquillam colere debeant pro vītā conservatione. — Culpa tamen interveniret, si explorator limites dissimulatiōnis excedendo positivè adsereret, se se amicum esse, cùm reipsa talis non sit. — Denique neutra pars hostium in medium adducere potest jus, vīcūs urgere possit, se ab explorationib⁹ immunem esse debere.

Decernendum est aliter omnino de perfidis patriæ propriæ proditoribus, qui loco fidelitatis & obedientiæ imperantibus debitā vigerrimo scelere cruentis hostium manibus patriam tradunt cum summo reipublicæ disspendio: præferendo nimirum insulsas animi passiones, aut derestandum auri lucrum obligationi tam sanctè contractæ, & communis gentis debitè consociatæ, saluti.

Verūm anne licet patriæ proditoribus, aut etiam malè transfugis ex hostium castris benevolas præbere aures, eorumque sectari? Confilia?

Dicen-

71

Dicendum, quod genus illud hominum  
allicere per promissa, per pecuniam &c. ad  
facta præmemorata, neutquam liceat: ne-  
mo quippe invitari debet & incitari ad ma-  
lum; atvero facta isthæc mala esse, nemo  
ignorat. — Verum, ab hominibus istis, si  
sponre comparuerint, verum situm hostilis  
exercitus, aut alias concernentes circumstan-  
tias intelligere & experiri penitus licet; quia  
per hoc ad mala prius ab ipsis sine nostro  
influxu perpetrata non concurrimus, adeo-  
que nobis imputari non possunt.

Quæri etiam hoc loco potest, utrum  
non violent jus gentium, qui tempore belli  
quandoque tormenta bellica exonerant sive  
displodunt globis cendentibus sive ignitis?

Promiscuus hujus generis usus ipsi hu-  
manitati quodammodo adversari videretur,  
prout cuilibet naturalis usque adeo instinctus  
dictare videretur; proinde inter cultiores gen-  
tes, si in thesi loquamur, usus iste generalis  
locum non habebit. — Veruntamen, si in  
hypothesi loqui velimus, utrum nempe, pe-  
culiaribus circumstantiis urgentibus, hujus-  
modi usus licitus sit, nec ne; resolvendum  
est, quod in hypothesi, quâ aliud sat effi-  
cax non superest medium sese defendendi,  
aut jus suum recuperandi, igneis liceat uti  
globis, etsi gravissima inde damna hosti in-  
ferantur: nam etsi valde acerba sit hujusmodi  
agendi ratio; crudelis tamen non est; &  
aliunde



aliunde hostis hab injustâ vexâ non nisi per  
hoc medium derudi posse supponitur.

Aliter omnino resolvenda videtur qua-  
stio, an liceat in hostem explodere materia-  
lia veneno infecta; ut proinde omnes vulne-  
rati secururæ morti proximè exponantur?  
Sanè, talem agendi bellandique modum om-  
nes morigeræ gentes execrabuntur merito;  
ejusque intuitu, militis etiam strenuissimi  
concidet animus. In hoc genere porro spe-  
ciem quandam crudelitatis intervenire, vix  
ullus inficiabitur. Cl. & doctissimus Hartleben  
in suis meditationibus ad pandectas volum.  
Part. I. specim. IV. n. I. de usu venenorū  
bello in modum differit sequentem:

“ Venenorum in bello usum jure gen-  
tium non prohiberi, sed ex jure naturæ  
saltē dissuaderi statuit Leyser. Spec. 3. med.  
“ 2. Econtra veneni in bello usum jure na-  
turali licitum, jure autem gentium, sal-  
tem Europæorum, & quæ ad Europæ me-  
lioris cultum accedunt, prohibitum esse  
contendit Jo. Sigism. Stappf. in tractatu de  
jure nat. & gent. p. 4. Cap. I. §. 4. n. 6.  
“ pag. 294. quo & inclinat Vitriarius in in-  
tut. jur. natur. lib. 3. Cap. 4. quæst. 9. Alii  
inter varium veneni usum, prout nempe  
venenum personæ hostili propinatur, vel  
illo globi & sagittæ, aut etiam fontes,  
flumina, fructus terræ, frumenta, farinæ,  
panes, vina & similia inficiuntur, distin-  
guunt

guunt, & ejus usum quandoque jure naturali prohibitum, quandoque licitum contendunt. Agmen inter hos dicit per ill. L.B. de Wolff in j. g. methodo scientif. pertract. Cap. 7. §. 877. ubi statuit, naturaliter licet hostem veneno interimere, dum sic ratiocinatur: *Quamdiu hostis est, reparacioni juris nostri resistit, consequenter tantundem in ejus personam licet, quantum ad vim ejus a nobis, vel rebus nostris depellendam sufficit.* Quamobrem, si eum ē medio tollere possis, id illicitum non est. *Quoniam vero perinde est, num gladio, vel veneno eum interimas, quod per se patet, quia scilicet in utroque casu ē medio tollitur, ne nobis diutius resistere possit ac nocere, naturaliter hostem veneno interimere licet.* Non est, quod excipias, hostem veneno clam interfici, ut ab eo minus se cavere possit, quam à vi aperta: neque enim semper vi aperta occiditur, qui gladio, aut aliorum armorum usū interficitur. Etenim ponamus, te clam in eum ingredi locum, in quo dux hostilis exercitas dormit, eumque gladio interficere. Nemo sane diffitebitur, id jure belli illicitum esse, & perinde esse, ac si globo transfodiatur ex improviso à longinquo spectatus. Ex eo igitur, quod veneno clam struantur infidiae vitæ hostis, ius eum ē medio tollendi, occasione commodâ oblatū, non variatur. Generoso animo eorum tribuerunt, qui hoc medio, cùm possent, uti noluerunt, fortitudinis gloriâ dubti, cui opinione communi maculam aspergere noluerunt. Jure itaque naturali, si factum aestimes, scelus non est,

It est quo nomine idem appellant scriptores  
 mani. Considerandum præterea, bellum geri non  
 propter se, sed propter pacem, ac ideo quoque  
 non illicita esse media, quæ ad bellum finien-  
 dum conferre quid possunt, modo in se illicita  
 non sint; quale non est, è medio tollere hostem:  
 saepe autem ad finem belli haud parum confer-  
 si hostis interficiatur; Et num ex nece ejus spe-  
 randus sit eventus, ad rationes suasorias hoc  
 medium eligendi pertinet. Verum non placet  
 hoc Wolffii ratiocinium; nam ex eò, quod  
 liceat hostem interficere, necdum sequi-  
 tur, quod planè indifferens sit, quâ ra-  
 tione, aut modo hoc fiat. Licet quidem  
 hostem ab initio statim subjugare, ut ex  
 tra omnem defensionem constituatur;  
 tamen sit extra defensionem, illum occi-  
 dere nequeo. Quomodo ergo veneno oc-  
 cidere possim, cùm contra venenum minus  
 se defendere queat, ac contra me, si su-  
 si in vinculis: dum igitur contra jus naturæ  
 est, occidere eum, qui extra omnem de-  
 fensionis statum ante pedes meos devol-  
 vitur; certè etiam contra jus naturæ est  
 hostem veneno occidere, contra quod  
 nulla datur defensio. Potest quidem du-  
 x hostilis exercitū dormiens, si à me capi-  
 vari nequeat, utut extra statum defensio-  
 nis sit constitutus, occidi; ast id sibi im-  
 puter, cùm hoc vigilando avertere po-  
 tuisset. Sane, si perinde esset, quo modo  
 hosti noceatur, etiam liceret fontes infi-  
 cere, iquod tamen ipse Wolffius improbat.  
 Deinde

“ Deinde non videtur hoc medium aptum  
ad faciendum bellum, cum timendum,  
omnes gentes moratores ejusmodi faci-  
nus cum excisione gentis perfidæ ulturas,  
hucusque Hartleben.

Tandem quæri potest, an liceat excur-  
rere limites juris sui prosecuti & adsecuti?  
Supponamus nempe, gentem aliquam via  
belli iterum recuperasse terras suas univer-  
sas ab aliena gente hostili injustè occupatas;  
an pei extunc fas erit progredi ulterius, pro-  
prias etiam istius gentis terras invadenda,  
occupando, retinendo?

Respondeo, bellicos imprimis computari  
posse sumtus, quos gens ista in recuperan-  
dis terris à gente alia injustè occupatis im-  
pendere debuit; eoquod in casu proposito  
quoad hos servari debeat indemnisi modo  
quovis competente. — Insuper videndum,  
an sine occupatione cujusdam districtus gen-  
tis oppositæ possit secura manere possessio  
justè iterum acquisiti & occupati territorii pro-  
prii? Profectò, si hanc securitatem evincere ne-  
queat per pacta cum gente devictâ ineunda  
stabiliendaque, aliis mediis adtemperatis uti  
licebit, inter quæ, aliis nempe deficientibus,  
facile numerabit præmemoratum securitatis  
remedium; quod tamen remedium è peri-  
culosis videri potest, quo facilius in merum  
securitatis prætextum degenerare potest. Id  
penitus certum est, quod ultra limites ne-  
cessitatis



*cessitatis excusari non debeat — Notandum etiam est, quod hoc loco agatur de occupanda terrâ, in quam gens devicta jus exercer perfectum; quare bene attendendum, an sufficiens interveniat titulus juris hujus amittendi ex parte gentis victæ, & occupandi ex parte gentis victricis?*

## §. IV.

### *De jure belli.*

**N**on quolibet impulsu, titulove fucato prouendum esse ad bellum, sana ipsa docet ratio. Igitur ad assumendam & prosequendam causam tam arduam, tantique momenti, tantarumque sequelarum, præcipuò considerandus matureque discutiendus est titulus ad gressum hunc impellens atque necessitans.

Iraqe duo potissimum præ oculis habenda sunt: videlicet *primo*, an vera, causæque adtemperata subsit laesio; & *secundo*, an superstes non sit medium aliud, vi cuius jus lesum redintegrari valeat. His positis, ac subsistentibus, jus ad bellum inchoandum ac prosequendum subintrat; non item conditionibus istis deficientibus.

Jus istud belli in ipso jure naturæ fundatur; si enim personis competat privatis ius suum tueri, conservare ac vindicare meatus adcommodatis contra turbatores ac invasores.

vasores injustos, & sic per ius securitatis, defensionis ac præcautionis sibi, suisque consulere rebus; id profectò denegari nequit gentibus, è quarum deletione quasi innumerorum hominum sequeretur interitus.

Justum igitur bellum ob duas potissimum causas locum habere potest; nimirum vel ad recuperandum id, quod alia gens injustè teneret, vel ad illud conservandum, quod gens alia injustè eripere contendit: atque hæc referuntur ad jus defensionis, & offensionis. Juri defensionis sive securitatis adfīne est jus præcautionis, vi cuius instauratur bellum contra læsionem proximè imminentem.

Quodsi igitur ullibi juris ratio, prout ipsa pro facultate legitimā sumitur agendi quidquam, retinendi, aut obtainendi, prout facultas ista à lege derivatur, spectetur & obrineat; profectò hæc ratio juris attendenda venir in genere belli inchoandi continuanda. Non sufficit arbitrium, sed ratio requiritur sufficiens undique; seeus enim gentes minus potentes aliarum gentium præpotentiae cedere jure deberent, etsi nulla suppressionis justa facultas supppereret; adeoque non justitia causæ, sed præpotentia virum nullam aut fucatā ratione stipata gentem inermem suis exspoliare posset bonis ac juribus: verum, quis hæc à jure naturæ & gentium non intelligit alienissima? Rem verbo: non auri



aure sacra fames, non nuda regnorum precepta extensio, non universalis imperii cupidus &c. Sed ius verum, ac solida iustitia in hoc tramite filum ducant necessum est.

### § V.

#### *De æquilibrio.*

**Q**uilibet jure suo uti potest, quin propter terea alteri fiat injuria. Igitur gens aliqua vires suas & copias augere potest eatenus quatenus id commune gentis hujus bonum deposit, quin propterea gentis alterius iuris laedere censi possit; nisi contraria obstante pacta.

Quod si igitur gens aliqua vires, propter suas militares ita augear, ut non laedat gentes alteras, neque easdem laedendi animum prodat, non idcirco potest impetrare bello, etiamsi æquilibrium solverit.

*Circa æquilibrium Cl. de Martini Part. II. Cap. XXII. §. DCCV. ita loquitur: "Stat in æquilibrio gentes, quarum vires ita inter se sunt divisæ, ut aliae aliarum impetratum sustinere satis valeant. Quoniam multa & majora fieri possunt potentiae incrementa sine turbatione aliorum, sola æquilibrii conservatio justam non tribuit belli causam; quæcum primùm se se ferit, cum illum, qui rumpit æquilibrium po-*

potentia adquisita abutit, & in altera iura  
 evagari velle est compertum;”  
 Et Cl. Zallinger Lib. IV. j. g. Cap. V.  
 §. CCXCIX. circa hanc materiam statuit se-  
 quentia: “ Gens, quae vires suas, gradum,  
 & potentiam iustis mediis auget, nemini  
 ob eam causam, quod jure utatur suo,  
 facit injuriam, et si dein potentia superior  
 evadat aliis. Igitur nec solum incremen-  
 tum extraneae potentiae, neque ratio aequi-  
 librii, seu conservandae aequalitatis virium,  
 iusta est causa inferendi belli, si quidem  
 res theoretice spectetur. Fieri enim po-  
 test, ut conservatio aequilibrii pactis in-  
 ducta sit, vel ut præpotentia unius gen-  
 tis argumentis & factis minime dubiis ap-  
 pareat tremenda, seu conjuncta cum ael-  
 sione imminente, atque ad subigendas  
 alias gentes non obscurè tendens. Cœre-  
 rum cavendum magnopere, ne loco invi-  
 diæ, æmulationis, & odii obrendatur jus-  
 tus metus, & periculum securitatis tur-  
 bandæ. Exemplum extat in sacris literis  
 de Abimelecho rege Palestinorum in Ge-  
 rrah, qui dixit ad Isaac: recede à nobis;  
 quoniam potentior nobis factus es valde. Gen.  
 XXVI. 16. „ Sane ex eo, quod personæ physicæ  
 iustis licitisque mediis suas per industriam,  
 aut commercium, aliove modo augeant pos-  
 sessiones, suosque reditus, personis reliquis  
 minus

minus activis nulla sit injuria, neque *eis*  
competit solertiores retundere: quidni igitur  
similiter ratiocinandum de personis mo-  
ralibus, sive de gentibus vires suas sine la-  
sione tertii adaugentibus?

Quæri hoc loco potest, an jus tribu-  
tum sit, religionem armis propagandi? —  
Illud à spiritu Christi, & ab omni instruc-  
tione traditâ apostolis circa evangelii præ-  
dicationem, religionisque disseminationm  
penitus alienum esse, sacræ paginæ ad suffi-  
cientiam adtestantur. Imo Christus suis præ-  
cipit apostolis, ut ab iis recedant hominibus  
& locis, ubi eorum sermones non audiun-  
tur & recipiuntur, dicens Matth. X. 14. 15.  
16. “Et quicunque non receperit vos, ne-  
“ que audierit sermones vestros: exeunte  
“ foras de domo, vel civitate, excutite pul-  
“ verem de pedibus vestris. Amen dico vo-  
“ bis: tolerabilius erit terræ sodomorum  
“ & gomorrhæorum in die judicii, quam  
“ illi civitati. Ecce ego mitto vos *sicut ovem*  
“ in medio luporum. Estote ergo prudentes,  
“ sicut serpentes, & simplices, sicut colum-  
“ bæ. — Igitur religio non armorum stre-  
pitum, sed Christianâ prudentiâ, mansuetu-  
dine, & zelo apostolico propaganda est  
disseminanda & inculcanda.

Sed quæri ulterius potest, an saltem non  
liceat genti fideli contra gentem infidelem  
armis veram religionem invadentem, eam  
armis quoque defendere?

Sanè, cùm gens pro suī bonorumque  
fūorum conservatione pugnare valeat, atque  
inter bona sua bonum maximum reputare  
debeat bonum veræ religionis, non obscurè  
elucescit, quòd in casu præmemorato jus  
defensionis armatæ locum habere possit, dum  
modo media quævis inordinata abstergantur,  
aut justa defensio non degeneret in cœcum  
fanatismū, aut in aliam quandam ineptiam,  
aut in ipsam usque adeo crudelitatem.

Jus illud coactæ *defensionis* à viris sanctis,  
v. g. à S. Joanne Capistrano quoque exerci-  
tum fuisse, legimus in ejus vita verbis se-  
quentibus: « Tauruno à Turcis obsesto, di-  
vino spiritu incitatus, & inexperto milite  
raptim conscripto, suppetias adulit; ini-  
toque saepius cum formidabili hoste, &  
christianorum cervicibus imminentे, con-  
flictu, cùm Joannes militi cruce signato,  
erecto vexillo, sanctissimum invocans no-  
men Jesu præireret, insignis parta victoria  
est ».

Denique Cl. Zallinger Lib. IV. j. g. §:  
CCXCIX. religionis propagationem per arma  
illicitam, atvero defensionem ejusmodi licitam,  
esse statuit his verbis: « Religio non armis  
quidem propaganda, sed tamen defendenda  
est ».



§. VI.

*De mediis superfluis in bello & incompetentibus.*

**Q**uòd jus ad finem tribuat jus ad media  
duntaxat requisita & licita, notavimus sœ-  
pius. Pariter observavimus, quòd bellum ideo  
solummodo sit instituendum, ut aut ablatum  
ac violatum restituatur, aut ab hoste impe-  
ritum retineatur. Denique, si ullibi, profecto  
in strepitu bellico inculcanda est aurea re-  
gula: *servetur moderamen inculpatæ tutelæ.*

Cùm igitur finis movendi interponendi  
que belli sit reparatio juris læsi, quæ repa-  
ratio nullâ aliâ viâ, quâm per extremum  
hocce medium obtineri potest; consequen-  
tia, quod media in hunc finem non neces-  
saria, sed partim abundantia sive superflua,  
partim incompetencia & inconcinna, à bello  
debitè gerendo penitus sint alienanda.

Media isthæc referri possunt vel *ad ar-  
ma*, quibus hostis impetratur, vel *ad personas*  
hostium, vel *ad bona eorundem*.

Quòd veritum sit jure naturæ, *armis*  
aut materialibus uti venenatis, supra stabili-  
vimus; quo circa hoc loco adhuc notandum  
quòd huic resolutioni minimè obsistar pactum  
supererogatorium, quod Argentorati ger-  
mani & galli inferunt anno 1675. ne quis in

In bello, quod tunc temporis inter ipsos  
gerebatur, venenis uteretur; quo pacto, ve-  
luti contendit Leyser, opus non fuisset, si  
venenorum usus ipso jure (*naturali*) prohi-  
bitus esset.

Adpositè namque responderet Cl. Hartle-  
ben in suis medit. ad pand. specim. IV. n. 1.  
sub finem: "Certum est, cautelas abundantes  
non nocere, præcipue, ubi super jure  
quandoque adhuc controvertitur. Quòd  
igitur galli germanique majoris securitatis  
causa paeti fuerint, prohibitionem juris  
naturæ ne dubiam quidem facit, multò  
minus eam evertit".

Ad personas hostium quod adtinet, ma-  
nifestum est, eas quoad præsentem materiam  
dispesci debere in *armatas*, nempe in milites,  
qui armis stipati sese manu forti opponunt  
genti invadenti, aut ipsam gentem adgre-  
diuntur; & in personas *inermes*, quæ armis  
non utuntur, neque alia viâ hostem lèdunt;  
veluti sunt clerici, cives, mulieres, adoles-  
centes, infantes, peregrini, &c.

Quòd vim vi repellere liceat adversus  
eos, qui vim interponunt, adeoque contra  
nos manu forti pugnant, nemini dubium  
esse potest; dummodo servetur modus in  
prioribus explanatus. — Quòd item prodito-  
res, exploratores, insidiarum structores &c.  
F a simili

simili modo tractari, imò graviore pœna mulctari queant, nemo est, qui ambigat.

Reliquum est, ut decernatur, quid juris competat in personas hostium inermes, extra omnem adgessionis, vel oppositionis violentæ statum existentes?

Plectere insontes ipsa vetat ratio, damnatque jus naturæ. Dicere, quod saltē *juris fictione* nocentes illi sint, idem est, quidquam adstruere sine ratione sufficiens. Consecutarium est, quod personas hujus generis, quæ nullum produnt nocendi animum perimere, mutilare, incarcerare, conjicere in vincula &c. illicitum sit & nefas; imò penitus injustum, adeoque reparationi omnis inde emanati damni obnoxium. — Videant ergo belliduces, officiales & alii, quantas, similia perpetrando, noxas contrahant, quantasque restituendi obligationes!

Notandum etiam hoc loco per modum incisi, quod belliducibus gravissima incumbat obligatio, ne proprios suos milites morti temere objiciant, eosdem sine necessitate ex incuria, malitia &c. quasi in lanienam detrudendo. Sanè, in tali casu sanguis comilitonum suorum ab eorum manibus exiguietur.

Denique ad quæstionem, quid justum sit ac licitum circa res & bona hostium? statuendum

tuendum est præprimis, quod *verum sacram*  
*rum* direptio ac vastatio injuriosa sit Deo ac  
 religioni; eoque res istæ divini cultus con-  
 servationi & amplificationi dicatae sint & con-  
 secratae. Nulla porro gens tam barbara &  
 ferox existimari potest, ut contra ipsum  
 Deum ac religionem arma arripere non per-  
 timescat.

Quoad reliqua bona distinguendum vi-  
 detur inter bona eorum, qui arma stringunt,  
 & inter illorum bona, qui in tranquillore  
 statu perseverantes, nil penitus contra illa-  
 bentem hostem moliuntur.

Non video sanè, loquendo saltem in  
 regula, quo jure competit hosti aliam gen-  
 tem invadenti, eripere, sibique adpropriare  
 bona illorum civium, ecclesiasticorum &c.  
 qui nihil contra hostem machinantur; sed  
 quieto in statu persistentes, nemini nocent,  
 neminem lædunt; proinde & à nemine lædi  
 jure debebunt.

Quod belliduces quandoque post partam  
 victoriam militibus licentiam impertiantur  
 ad certum aliquod temporis spatium exspo-  
 liationes exercendi; nil probat in contrarium;  
 non enim hic agitur quæstio facti, sed  
 juris. Deinde supponendum est, quod ejus-  
 modi licentia se non extendat ultra illos,  
 qui in bello fuerunt complices.— Aliter dis-  
 serendum est de justis contributionibus mi-  
 litaribus,



litaribus, quas pro ratione virium loci de-  
victi quandoque exigunt belliduces pro sua  
suorumque indemnitate; ad cujus subleva-  
tionem per viam temperatæ contributionis  
cives & incolæ loci devicti proniores mer-  
tò judicari debear.

Quoniam etiam veritum est uti in bello  
mediis ad propositum finem haud necessariis;  
sed reipsa abundantibus; hinc nefas fore,  
sine necessitate devastare agros frugibus re-  
fertos, arbores excindere, depopulari  
neas & prata, urbes, oppida, pagos & dor-  
mus pro mero arbitrio incendere, aut de-  
struere: sine necessitate inquam; eâ namque  
suppositâ, imò suadente, aliter resolvendum est.

## §. VII.


### *De copiis auxiliaribus.*

Sæpe saepius ita bella geruntur, ut gens  
una vel altera belligerans suarum pro fulci-  
mento virium gentem tertiam suum advo-  
cat in auxilium; id quod fieri potest vi pae-  
torum præviè initorum, aut noviter cusorium.

Discriminis nonnihil interesse belli so-  
cios inter & belli auxiliatores, passim notant  
autores: nam gentes in gerendo bello sim-  
pliciter invicem ita consociatae, ut nulla pre aliis  
agat modo principali, sed potius æquali, ita spec-  
tande

tandæ sunt, ut quælibet carum id omne *sibi*  
acquirat, quod justo titulo hosti eripit. *B.*  
Cùm verò *auxiliatores* belli ita duntaxat in  
auxilium vocentur, ut non proprio, sed gen-  
tis principalis nomine pugnant; hinc illi,  
salvis belli expensis, *per se loquendo*, omnia  
genti principali acquirunt. Si verò singularia  
paœta determinent aliud, iis erit insistendum,  
*Compelli gens nulla potest, ut belli so-*  
*viam agat, vel auxiliatricem; eoquod cuilibet*  
*genti sua competit libertas, secluso paœto,*  
*in statu neutralitatis perseverandi; adeoque*  
*vi æqualitatis ac libertatis sese alienis nego-*  
*tiis haud immiscendi. Imò hinc inde inita sunt*  
*paœta, vi quorum una alterave gens neutra-*  
*lis manere debet; quæ tunc neutralitas pac-*  
*titia nuncupatur.* *IV. 2*

Quæstionem porro, num etiam pro aliis  
bellum modo auxiliari geri possit, *Cl. Hei-*  
*neccius Lib. II. j. n. g. Cap. IX. §. CLXXXVII.*  
ita resolvit: « Cùm verò aliquando perinde  
sit, sive nos ipsi lædamur, sive per latus  
alterius petamur, itemque, sive nobis jus  
perfectum denegetur, sive aliis, quibus  
vel ex paœto, vel nostrum causâ ad opem  
ferendam obstricti sumus: rectè inde col-  
ligimus, posse etiam pro aliis sociis &  
fœderatis bellum geri; imò & pro vicinis,  
si certis argumentis, aut non levibus cer-  
tè indiciis constet, illorum ruinis nos op-  
pressum iri. Quis enim vitio vertat vicino  
“ pre-



“ properanti ad restinguendum incendium  
 “ dum proximus ardet ualegon? Quis non  
 “ verissimum putet illud vetus: *Tum tua res*  
 “ agitur, paries cùm proximus ardet? At, cùm  
 “ ne pro nobis ipsis quidem justum bellum  
 “ gerimus, nisi justa belli causa sit; multò  
 “ minus sanctum piumque erit bellum  
 “ quando aliorum causæ injustæ patrocinium  
 “ suscipimus.”

Cæterū de jure, quod competit genti  
*mediæ*, sive *neutrali* Cl. de Martini Cap. XXV.  
 §. DCCLXIX. & §. DCCLXX. Statuit se-  
 quentia: “ Porro in bello *medii* pati non  
 “ possunt, ut in suis territoriis hostis unus  
 “ res alterius capiat, vel personas persequa-  
 “ tur. Sanè justitia causæ ratio non est, ubi  
 “ quam quis jus in alterius non hostis re-  
 “ gionem sibi adrogare queat. Inde quoque  
 “ patet, cur, qui urbi obfessæ aliquid ad  
 “ fovendam defensionem advehit, *medius* non  
 “ maneat; quapropter res ejus intercipiun-  
 “ tur sine injuriâ. Quod si verò pangantur  
 “ neutralitatis fœdera, seu pacta, ut popu-  
 “ lus alteri populo non suppeditet auxilia  
 “ bellica; non ideo quis pacata commercia  
 “ continuare, vel genti cœrera præstare of-  
 “ ficia prohibetur, quæ pacis etiam tempus  
 “ re debentur.


S. VIII.

*De jure victoriae, ejusque consecutiis.*

**P**artes belligerantes per intentam victorianam propositum scopum, seu finem belli adtingere connituntur: unde & ad obtainendam victoriam omnes vires suas colligunt. Illa igitur pars belligerans, cuius vires in bello adteruntur, succumbere, alia verò, quæ viribus prævalet, hostemque conterit, vincere dignoscitur.

**E**x his facile conficitur notio *victoriae*, quæ proinde in eo consistit, quod victoria sit actus bellicus, quo major, aut magis dexterè applicata virium quantitas efficit, ut pars opposita succumbere debeat.

**A**ntequam verò de jure, quod ex parte victoria resultat, debitâ ratione differere valamus, principalissimè notandum est, quod victoria tantum juris solummodo tribuat, quantum justitiæ involvitur in bello victoris: quare si bellum victoris fuerit injustum, victoria nil juris in hostem, aut res illius eidem tribuere potest: ex quo manifestè patescit, quod jus victoriae non ex ipso hoc actu, sed ex belli justitia disfluat; non enim physica virium præpotentia, sed moralis facultas agendi & vincendi, hostemque expugnandi subjugandique parens est juris ex Victoria resultantis.



**V**erum, quid statuendum, si, uti contingit, saepius, iu causa seu justitia belli utrumque sit dubium? — **D**icendum, quod, velut in iuriis causis, ita & in hac pro rata dubium concernens effectus locum habere possit; aut quod satius est, hostis ad justam transactionem adigendus sit. — **E**st autem Victoria vel completa, vel incompleta; prout nempe hostium vires aut penitus, aut dum raxas ex parte imminutae sunt & fractae.

**I**taque jus, quod habet victor in hostem victoriâ nunc partâ exercere atque in effectum plenum deducere potest; ita ut rotam ab hoste ante bellum, & in bello illatam lesionem recuperare valeat, una cum damnis & expensis concomitantibus. **P**orro justus victor tutum se se praestare potest, ne impotestum amplius ab hoste devicto injuste laceratur, adhibendo ordinata iuhuc facientia media.

**V**ictor hostiles personas expugnatas in mittare potest reducere captivitatem; quo circa ex post lytrum, seu premium redemptoris locum habere potest. — **R**es hostium de victorum, veluti arma, annona, currus equi &c., victori cedunt.

In hostium vitam, dum hi ab omni resistentia desistunt, victori jus nullum competit; *quia, uti inquit Cl. Zallinger Lib. IV. Cap. VI. §. CCCIV. Jus occidendi tanquam*

*“ uni-*

“unicum atque extremum medium duntaxat  
 “in hunc finem competit, ut superetur gre-  
 “sistentia; sequitur, ut cessante resistentiā  
 “tanquam unico fine, etiam ipsum medium;  
 “nempe jus occidendi cesseret. Neque talio,  
 “nec præcedens contumacia resistendi, ne-  
 “que inferendus terror, si speciale delictum  
 “abfuit, ratio sufficiens fundendi humani  
 “sanguinis esse possunt, . . .

Rem verbo, dum quis extra statum re-  
 sistentiæ constitutus est, regulariter loquendo  
 etiam ab internecione turus esse debet: qua-  
 re etiam illi, qui, bello etsi adhuc durante,  
 à resistentiā hinc inde desistunt, & ab inse-  
 quentibus *vita gratiam* petunt, non sunt  
 perimendi, sed potius captivandi.

Multò gravius, imò turpissimè hallucin-  
 nantur illi, qui impiè judicant, jus victoriæ  
 usque ad crudelitatem & truculentiam in  
 devictos exercendam sese extendere; adeo-  
 que sibi competere, non quidem humanita-  
 rem, sed barbarem immanitatem gentes  
 in devictas exercere. Sanè jus nullum est ad  
 illicitum, multò minus ad immane & bar-  
 barum.

### §. IX.

*De pace.*

Bellum instituitur, ut obtineatur pax. Sunt  
 autem conventiones aliquæ inter hostes, quæ  
 actus



actus bellicos duntaxat suspendunt, veluti iudicæ, armistitium, conventio vel de permutatis, vel de redimendis captivis &c. quæ tamen singulæ nomine pacis haud veniunt intelligendæ: enimvero per conventiones istiusmodi bellum è medio non tollitur, sed quoad nonnullos effectus tantum suspenditur; cùm tamen per pacem bellum finiatur.

Itaque pax rectè describitur: publica inter gentes conventio de bello totaliter & in perpetuum è medio tollendo.

Cùm igitur per pacem tota belli causa evanescat & cesset, cessare quoque debet inter gentes pacem ineuntes animus ulterius nocendi; ita quidem, ut gens quælibet sincerè intendat, nunquam amplius alterius gentis jura violare; unde & pater, quo sensu pax perpetuitatem pro objecto habere debet. Neque etiam pax vera erit, si per eam bellum ex parte quidem, sed non ex toto supprimatur: una namque scintilla relictæ totum facile resuscitabit incendium; tenebitque: pax, pax: & non est pax. Conventio pacis etiam publica esse debet; inita nimirum ab iis, qui gentium belligerantium imperantes sunt, aut qui imperantium vices, seu legitimi deputati, gerunt.

Immediatus pacis effectus est, cessationis conflictus armorum inter eos, qui hostes erant. Effectus reliqui sunt eorum alienatio malorum.

malorum, quæ, juxta notata in prioribus, bella sequuntur; simul atque bonum quasi innumerorum productio, ac consequatio. — Recte igitur dicitur: *nulla salus bello, pacem depositimus omnes.*

Potest autem pax sub dupli spectari obtutu; primò prout ipso jure naturæ omnibus inculcatur hominibus, cuius nempe pacis auctor est ipse Deus, cuiusque princeps designatur Christus apud *Isaiam Cap. IX. 6.* “*Parvulus natus est nobis, & filius datus est nobis, & factus est principatus super humerum ejus: & vocabitur nomen ejus, admirabilis, consiliarius, Deus, fortis, pater tuturi Sæculi, princeps pacis.*” Qui pacis princeps seu Christus postea de eadem pace dicit *Ioan XIV. 27.* “*Pacem relinquo vobis, pacem meam do vobis: non quomodo mun- dus dat, ego do vobis.*”

Solidatur pax ista in charitate, quam jus naturæ cuilibet præcipit, potestque cum ipso etiam bello conciliari; sicut enim in hoste laudanda, proinde amanda est virtus, sic etiam naturalis charitas, adeoque interna pax erga ipsummet hostem non extinguen- da, sed fovenda est. Ergo hanc pacem vio- lans, jus naturæ violat.

Hæc pax esse potest domestica, civica, gentium; prout ex opposito turbæ esse pos- sunt in familiis, in communitatibus & reg- nis,

mis, inter gentes cuiuslibet ordinis. — De illa pace canit Ecclesia: *gloria in excelis Deo & in terra Pax hominibus bonæ voluntatis*: verba illa hauriendo ex voce angelorum seu militiae cœlestis *Luc. 11. 13. 14.*

Sed quo quæso! faro evenisse putandum est, quod pax illa à Christo nobis relicta ævo nostro tantopere concutiat? Ajunt passim, concussionem christianæ religionis ipsam quoque hujus pacis concussionem esset quod & ipiusmer Salvator noster indigitasse videtur, dicens: “pacem *meam* do vobis (ver “*ris meis discipulis*) non quomodo mundus “ dat, ego do vobis.”

Secundo Spectari potest pax, prout *conventio* quædam seu *pacificatio* inter illas gentes, quæ vi armata se se infecutæ sunt: per quam proinde pacificationem arma se ponuntur, & partes hucusque belligerantes ad pristinam redeunt amicitiam: quibus & variae stipulationes adjici solent; quæ, si publica imperantium ac gentium jura adtingant, publicæ audiunt; si vero, de consensu imperantis, hostis cum subditis hostium circa bonum eorum speciale conventionem ineat, stipula:io *privata* nuncupabitur. — Hæc igitur *pacificatio*, seu *conventio* propriè nomine pacis, venit in jure gentium, ad quod etiam magna ex parte reducitur, maximè, quatenus est *positiva*; adtamen juris etiam naturalis principiis innititur *pactio facta* inter gentes publicas.

Solemnem hujusmodi pacificationem utramque partem gravissime obligare, tum ipsa rei ac circumstantiarum gravitas, tum publica fides utrumque data, manifeste evin-  
citur. Si ergo in aliis privatis contractibus &  
paetis non liceat resilire, alia parte rationa-  
biliter adhuc invitâ à potiore id dicendum  
de pactis hisce solemnibus æquè ac gravis-  
simis.

De modo obligationis *Cl. de Martini*  
Cap. XXV. §. DCCLXXXV. recte inquit:  
Quoniam pactio pacis inter gentes est con-  
ventio, quæ finem bello publico imponit, con-  
sequens est, ut, si fuerit inita & promulgata,  
quicunque conatus mala sibi invicem inferen-  
di perpetuò & in omne ævum desinere de-  
beat. Et contrahentes quidem pactione  
pacis statim obligantur, ut primum fuerit  
facta; horum vero subditi nonnisi secuta  
publicatione, vel à tempore convento.

Ad quæstionem porro, an praestitus in  
hac pactione consensus nullus censi valeat  
per exceptionem doli, aptè respondet *Cl.  
Zallinger Lib. IV. j.g. §. CCCVIII.* "De con-  
sensu ad omne paectum necessario quaeri-  
tur, utrumne in hoc genere pactionis ex-  
ceptione doli, enormis læsionis, injusti-  
metus, is consensus pro nullo haberi pos-  
sit? in primis inter gentes liberas nemo  
est, qui de dolo, enormi & injusta læsion-  
ne, ac vi injustâ pronunciat: dein pax  
naturam transactionis habet super omni-  
belli

“ belli causa & injuria initæ, quæ causa beli  
 “ si seponitur, ejusque justitiâ haud decisio  
 “ belli finis imponitur. Quare si causam  
 “ eandem de novo arripere ac ventilare, au  
 “ læsionem ac metum obtendere integrum  
 “ esset, pax naturam suam amitteret, nec  
 “ finis belli, sed suspensio foret. ”

Circa questionem, an valeat & obli  
 get pax inita cum subditis rebellibus? C.  
*Heineccius Lib. II. j. n. g. §. CCXX.* Stratuit  
 sequentia: “ Quærunt *Grotius & Puffendorf*  
 “ fuis an & pax cum civibus rebellibus imp  
 “ ta, servanda sit? Id quod contra *Boxbor*  
 “ *mum, & Lipsii* sententiam recte adfirmant  
 “ Cum enim pax coalescat per modum  
 “ transactionis; is verò, qui cum eo, à quo  
 “ Iæsus est, transligat, remisisse illi injuriam  
 “ censeatur; sequitur sanè, ut & imperan  
 “ tes his hominibus immorigeris gratiam  
 “ fecerint delicti, adeoque pax illa, nisi ex  
 “ nova causa, salvâ justitia rescindi non pos  
 “ sit: præterquam, si illa ob insignem re  
 “ bellum dolum, vel statum principis cum  
 “ illis pacientis, ab initio non constituerit.”

Illud sanè manifestum est, quod si tamen  
 “ tempore transactionis pacificæ sive hujus  
 “ prioris generis interveniat dolus, vici  
 “ jus ipse deficeret consensus, aut pars una  
 “ contrahentium in talem v. g. metu injusto  
 “ conjecta esset statum, cuius intuitu objectum  
 “ pacis esset nullum, pacem hujus committatis  
 “ haud subsistere.

Porro ad transactionem non solum requiritur jus competens ex parte utriusque paciscentis, verum etiam apta pacti materia, quae proinde partium contrahentium potestati subjecta esse, aut de consensu eorum, quorum interest, subjici debet.

Quoniam vero in transactione pacis determinandæ ut plurimum occurunt res variæ, ac jura diversa; hinc & complures solent constitui *pacis articuli*; quibus proinde singulis, et si diversa adtingant objecta, morum gerere oportet: fœderibus quippe sanctè insistendum; quia fœdifragorum perfidia est summè detestabilis.

Si de bello finiendo, atque ineunda pace feriò cogitetur, belli fini, & pacis exordio *amnestia* interponitur. Est autem *amnestia* oblivio publica ac sempiterna injuriarum & offenditionum utrimque illatarum, per quam & vindictæ studium theoretice ac practice abjicitur. Hoc etiam medio utraque pars in eum libertatis statum reducitur, qui ad pacta debite ineunda requiritur.

Hæc injuriarum oblivio ac remissio aut *limitata*, aut *illimitata* esse potest: potest nempe vel restringi ad certas causas & personas, ita, ut nonnullæ excipiantur; vel ita generaliter extendi, ut nil penitus excipiatur, quod in obliuione illa ac remissione non continetur. Dividunt quoque eam in



*zacitam & expressam*: nam præter id, quod  
injuriæ expressa stipulatione remittantur, ta-  
cità etiam, seu non urgendo satisfactionem,  
oblivioni tradi possunt atque dimitti.

De pacis transmissione ad Successores  
succinctè non minus, quam nervosè inquit  
**Cl. Zallinger Lib. IV. j. g. §. CCCX. l. 1.**  
“ Cùm pax salutis publicæ causâ, proinde  
“ que civitatis nomine ineatur; idcirco pro  
“ fœdere *reali* per se habenda est, cuius obli-  
“ gatio ad successores transtulit: qui proin, an-  
“ si omnia velint evertere, causari hand  
“ possunt sibi à decessoribus præjudicium  
“ causatum fuisse, & creari non potuisse”

Denique causæ tanti momenti penitus  
adtemperatum est, ut fœderæ pacis non so-  
lum ineantur, sed etiam variis actibus ad-  
nexis, maximè per *guarantiam* firmentur ac  
suffulciantur, ne ad arbitrium partis præpo-  
tentioris rumpi queant atque dissolvi cum  
summo parris debilioris præjudicio ac detri-  
mento. Mutuo igitur paciscentium consilio  
tertius quidam, aut etiam plures viribus præ-  
potentes tanquam *mediatores* initæque pacis  
rutores & conservatores rogari solent & in-  
stitui, qui proinde partem injustè resilire vo-  
lentem in officio continere possunt atque re-  
nentur: & sine his pacis securitas ad suffi-  
cientiam quandoque sarta recta non foret.